

Et in eo conspici, quod in iis adolescentes ad philosophiam sublimioresque scientias ducantur, quos humanioribus literis recte imbueri, longe satius foret. - - Videas enim quosdam rebus frivolis ac minutis inherere, - - videas eosdem conviciis atrocissimis se invicem proscindere, alios fastu quodam pedagogico ita se efferre, ut risum excutiant NB. Sapientioribus &c. &c. Id vero non de omnibus Academiis & scholis intelligendum esse, res ipsa docet.

§. IV.

Quo propius ad institutum accedam, quædam de officio concionatorio s. Methodo concionandi, ubi simul innumeri nævi deprehenduntur, tradam. Methodus concionandi varie alias describi solet. Utar vero impræsentiarum Theologi cujusdam Wittebergensis Magni nominis descriptione dicentis: *Methodus concionandi est ratio & modus in dicendo de rebus spiritualibus & ad animas illuminandas, instituendas, & confirmandas, imo omnibus actibus gratiose exornandas pertinentibus, adhibitus eo fine, ut isti actus singuli ordine suo in ipsis exerceantur & salus æterna producat.* Si Celeberrimi Dom. D. Sontagii descriptionem orationis sacræ illi addimus, dicentis, *concionem sacram esse orationem Ecclesiasticam de rebus ad fidem vitamque pertinentibus Christianam, ab ipsomet DEO revelatis ad Nominis Ipsius Gloriam & salutarem Auditorum ædificationem habitam s. habendam, tam rem ipsam, quam rei finem satis perspicimus.* Utrumque igitur verbi divini Minister, si populum DEI salutariter docere & honorem Altissimi eo, quo decet, animi fervore & contentione promovere cupit, altius cogitare secumque reputare debet. Ante omnia utique requiritur, ut verbum DEI, quod & alia necessaria supponit, pure & juxta S. Sancti intentionem

tionem